

D. F. F. D. E.  
 DISSERTATIONCULA  
 DE  
 JURE PONTIFICIS  
 IN  
 AVGVSTOS

NVLLO,  
 QVA

AD ORATIONEM  
 VALEDICTORIAM  
 PRAESTANTISSIMI JUVENIS

GEORGII  
 GOTTLLOB  
 STENGELII,  
 BVDISSINI,  
 CELEBERRIMAM ACADEMIAM  
 VITEBERGENSEM

PETITVRI,

DE Philoſophia

CRAS, DIVINA BONITATE ANNVENTE,

IN AVDITORIO SVPREMO

CIRCA HORAM NONAM MATVTINAM

GRATIOSE AC BENEVOLE

AVDIENDAM,

PRAENOBILISSIMOS ET AMPLISSIMOS DO-  
 MINOS PATRONOS AC INSPECTORES,

VNA CVM ALIIS ELEGANTIORVM MV SARVM

FAVTOIBVS CLARISSIMIS,

QVANTA FAS EST AC DEGET,

ANIMI OBSERVANTIA

ACHVMANITATE

INVITAT

M. MICHAEL THYM,

CYGVENS CON RECTOR.

BVDISSAE, LITERIS RICHTERIANIS. M.DCC.XI.







I. N. J.



Acratissimum Romanorum Imperatorem Francofurti, quæ vna totius Germaniæ Vrbs, augusti dignitate auspicii, Encomiasta Vireberghensium Tullio, præstat ceteris, & omnes omnium prope Vrbiū fortunas complectitur, ab Illustrissimo Electorum Senatu solo eligendum ac constituendum esse, ipsa Rerum omnium Magistra Experientia, Exemplis omni Exceptione maioribus, evidentissime etiam nūm edocet. Sententia enim hæc inter peritissimas Historiarum ac Politicarum verissima invaluit applausumque sibi promeruit, communem, Augustale Septemviratum Collegium, non certo quodam Imperii Decreto, multo minus Romani Pontificis auctoritate, sed tacita Statuum Convenientia Sec. demum XIII, defuncto Fridrico II, in Interregno Magno eum in finem introductum, tandemque sancto Constitutionis Carolinæ Præsidio solennissime fuisse circummunitum, vt omnes in Electione Augustorum Diffensiones Factionesque longe submoverentur. a) At enim vero quemadmodum Præsul Romanus vniuersalem in terris, absolutam & independentem, potestatem, in ordine cum ad vniuersas Populorum Christianorum politias, tum ad totius terrarum Orbis Incolas in omnibus Negotiis & Causis tam Civilibus, quam Ecclesiasticis, tanquam Vicarius Christi & Successor Petri, infal-

libili

- a) Collegium Electorale tempore Ottonis III, Sec. X, auspiciis Gregorii V, Papæ ceppisse constitutum fuit Chronologorum & Jctorum opinio, per duo secula constans, qui nitebantur Martini Poloni, Scriptoris Sec. XIII, celebri autoritate; sed fidem ipsi non esse habendam in re tam longe ab ipsius memoria remota asserit Severinus de Montzambano cap. IV, de Stat. Imp. Germ. (quem Illustrē Virum Sam. Pufendorfium esse Cl. Struve annotavit in Biblioth. Jur. Sel. cap. 14. §. 40. p. 476.) Hanc & opinionem Sim. Schardium Lib. de Princ. Elect. Orig. & Christoph. Gevvoldum de Rom. Imp. Septem Virar. fuisse Svederus affirmat in Jur. Publ. p. 765. quam vero fabulam dudum explosam recte nominat Cl. Schurzfleisch in Disp. Hist. Civ. XXXVI. p. 12. & sola consuetudine Jus Elect. XIII. Sec. innixum fuisse dicit l. c. Disp. XXX. de Witkindo M. app. §. 3, pag. 39. Vid. & Linnæus Lib. III. cap. 1. Beckmannus in Not. Dign. Illust. Diss. VIII. Conringius Diss. de Septem Vir. §. 22. Lehmannus in Chron. Spir. L. V. cap. 17. pag. 406. Onuphrius Panphinius Lib. de Comit. Imperial. D. Otto Menckenus in Diss. de Orig. Elect. quibus addo Vitriarium in Jure P. Bœclerum in Not. S. R. J. p. m. 157. G. Rhetium in Instit. J. P. Germ. & Rom. Tit. VI. pag. 190. Longe autem aliam asserit Wilhelm. Gabriel Pachelbl. a Gehag. Confil. Brandenb. & Dicast. Cæsareo Prov. Assess. in Diss. de Orig. Elect. ubi Christi natiuitate non iuniores esse statuit, Hala 1705. 4. Fructus



libili (ceu præterdit) iudicio, vel sibi ipsi attribuit, vel ab Adulatorum Grege vendicari vult ac patitur, & ubicunque locorum, ac quodocunque potest, respiciam illam usurpat atque exsequitur: b) Pari sane ratione jus sibi quoddam & eligendi ac coronandi Imperatores, & Ipsos augusto in Imperio confirmandi stupendo audaciæ genere adscribere nullus veretur. c) Atque hæc ipsa facta turgo est, unde tot tamque detestanda Papatum in Augustos Imperiumque molimina originem suam traxerunt. Hinc Hildebrandi seu Gregorii VII. horrenda Anathematum fulmina in Henricum IV. vibrata, cum sibi aut mori, aut Cæsari Augusto animam regnumque aditineri inaudita prorsus indignatione in animum induxisset. d) Hinc & ignominiosa illa pictura Lotharii II. Coronationem præ se ferens, additis Verbis: *Rex venit antefores, jurans prius Urbis honores: Mox homo fit Papæ, sumit quo dante Coronam.* e) Hinc Conrado III. Guelpho Bavarus oppositus; f) Fridricus I. ab Alexandro III. igno-

mi-

stra autem Pontifices Rom. Septem Viratum instituisse, probare nituntur Bellarminus L. 3. de Translat. Imp. cap. 1. seq. & Baronius T. X. Annal. ad an. 996. p. 38. seq. cum Bellarm. sibi ipsi non constans, modo ad Sec. X. modo ad XIII. illius Natales referat; Baronii vero ingenium & consuetudo sit Curiæ Rom. tantum servire; quod H. Casaubonus in Proleg. ad Exercit. prolixè probavit. Quare & Hoornbeckius in Misc. p. 16. refert, Pithæum dixisse, Baronii Annales Libros de Potestate Papæ potius esse inscribendos. Ceterum de fide Bellarmini & Baronii dubia conf. Excell. Theol. Joh. Frid. Mayeri Ecloga ad Illustr. van Mastricht 1697. Amstel. edita. Jesuitis Baronium accensent Thomas Mortonus Anglus, quem ideo perstringit Nicolaus Serarius Jesuita Lib. IV. Minerval. cap. 1. Christianus Matthiæ in Th. Hist. pag. m. 218. & Melchior Leideckerus in Hist. Janfenisimi, tui nobis suggerit Cl. Mayerus l. c. p. 115.

- b) Desinente Gisberto Voetio P. II. Dispp. pag. 327. Duplicem hæc potestatem evincere volunt præter alios Mariana, Suarezius, Becanus, Bellarminus, Santarellus, quorum libri in Gallia a suprema Curia igni adjudicati sunt, teste Thuanò & Grammondo. Sed subruerunt eandem Plessæus, Tract. de Eccl. & passim in Mylar. Iniquitatis. Molinæus in Novit. Papij, Blondellus & Salmæus de Primatu Pontif. Carpzovius de Leg. Reg. Germ. Reinking de Jure Sec. & Eccl. Rogerius Widdrington. in Apol. pro Jure Princip. contra Bellarm. Joh. Rossen. de Potest. Pap. in Tempor. Voetius P. II. Dispp. de Temp. Pot. Pap. § pag. 792-826. Mich. Geddesius Disp. I. Miscell. Vol. II. Lond. 1705. §. quod sine dubio conarus quoque est Abbas Antonius de Marino in Tract. suo, quem Bârcinone hoc ipso anno contra Jurisdictionem Pontif. edidit: quamvis huic opposuisse alium sub Tit. Potestas Pontificis de infringenda & infirmanda Electione Imperatoris; Novellæ referunt: cujus autem genuinum autorem Internunciium Lucinium esse, Antonius ipse coram iudicio testatus est. Conf. & Scripta de Jure Imperatorum in Comaculum hæcenus edita, imprimis *Libellum supplex Reinaldi Estensis Ducis Mantua* ad S. Cæs. Maj. Josephi I. Imp. Rom. A. 1710, quo momenta Cæsareorum & Estensium Jurium in Comaculum contra Pontifices profequitur est, receptus in Act. Erud. Lips. 1711. pag. 225. seqq.
- c) Vid. Limin. T. I. Jur. Publ. cap. IV. n. 5. seqq. Carpzov. de L. R. cap. 11. S. 9. Dan. Otto Jur. Publ. c. X. pag. 281. seqq.
- d) Epist. Henrici IV. ad Hildebr. cit. a Schurzfl. l. c. Disp. LI. pag. 31. & Matthiæ Th. Hist. p. m. 907. Certe Henrici IV. ævo turbulentissimus Imperii Status & tempora omnium asiduosissima fuerunt, ut Pontifices effunderent in Caput Ejus dirisum tempestatem. Tantæ iræ Pontificis in eum quoque mortuum fuit efficacia, ut integro quinqueennio inhumatum jacuisse testentur Viterbiens. Helmold. & H. Murus, cit. a Schurzfl. l. c. in Hist. Civ. atque Eccl.
- e) Vide Radevicum de Gestis Fridrici I. L. I. cap. X. & Joh. Trithem. Chron. Hirsaugens. ad Ann. 1157. pag. 140. quanti vero picturam de medio tolli iussit Fridricus. teste Radevicus c. l. & Wolfo Lib. I. Memorab. f. 365. & 370.
- f) Unde & Guelphorum, qui Pontificum auctoritatem, & Gibellinorum, qui dignitatem Imperatoriam tuebantur, factiones in Italia ortæ.



miniofissime habitus : g) Hinc est, quod Bonifacius VIII, Imperatorium afsumferit habitum, sibi que duos, tanquam duo, Ecclesiasticæ nempe & secularis Potestatis Insignia, gladios his adductis Petri Verbis præferri curaverit : **ECCE DVO HEIC SVNT GLADII.** h) Hinc & Innocentii X, horrenda in Pacis Osnabrugensis Articulis Tonitrua. i) Et quis omnia Pontificum Romanorum machinamenta recenscat ? Pleni sunt omnes Theologorum Libri, plenæ Historiarum Conditorum Voces, plena Exemplorum Vetustas, ea vel maxime tempestate, qua Germania fraudulentis aulæ Pontificiæ arribus turbata, intestinorum bellorum procellis fracta, & Imperii Viribus pene exhaustis de sancta Majestate Casarea triumphavit Curia Romana. k) At vero cum nullum plane Romanorum Antistiti Jus in Res Temporales competere vel inde constet, quia Potestates, Sacra & Civilis, tam in Vet. quam Nov. Fœdere maxime sunt distinctæ; ipseque Christus, Caput Ecclesiæ & Magister Unicus, qua talis potestate illum in terris nec habuerit, nec admiserit, sed repudiavit; neque ejus Apostoli, quos inter & Petrus, nec jure, nec factis, sibi illam tribuerint, aut tribui unquam passi fuerint : l) Multa jam argumenta conquirere, supervacaneum duco, quibus Pontificum Jus in Res Imperii & Imperatores infringatur. Neque enim est, cur eandem *ὑπερεξουσίαν* ex Translatione Imperii Romani stabilire contendant, eamque in Carolo M, gratia Papali esse factam jactitent, Pontificum qui tueri partes ac defendere satagunt; cum Augustus ipse Carolus illud jure Pacti cum SPQR sancte inti sibi acquisiverit, & Augustissimus Imperator Otto I, & factis & cognomine Carolo Par, dejectis deseriisque Langobardorum Regibus in Patrimonium Gentis Nationisq; Germanicæ redegerit, ac nouo Potestatis Regiæ argumento, in Tabulis A. DCCCCLXXII editis, Regnum proprium nominaverit, ideo quod suis & Germanorum armis opibusque comparaverit, & pleno perpetuoque jure Nationi Germanicæ addixerit, & æterno foedere conjunxerit, vt nunquam ab Italis repeti, nunquam abalienari queat; Vnde Romanos & Imperatores supremam supra Papam habere potestatem, imo Pontificem, pristino Dominii Jure, Imperatoris in Italia Subditum esse & Beneficiarium, Viri *πολιτικῶν πραγμάτων* veris ac solidis innixi fundamentis intrepidi jam dudum asserunt. m) Tam certum igitur est,

g) Narrant Itali & recentiores quidam Scriptores Fridrici collum ab Alexandro III, Papa Venetiis ad januas ædis D. Marci fuisse calcatum. Sed fabulam id esse ab Italis Gvelficæ præsertim factionis hominibus in Germanorum contumeliam fictam judicant Aventinus, Rittershusius, Berneggerus, Richterus, Reinesius, Dilherrus, Schurzleischius l. c. Disp. XLIX. pag. 14. ubi addit, Radevicum, qui ex professo res gestas Fridrici composuit, ne verbo quidem hujus rei meminisse, pro industria alioqui & fide sua memoraturum, si quid tale accidisset, cum alia probe in Imperatorem dicta consultaque temere idem non prætereat. Affirmarunt autem Wagensius de Imp. XI. & XII. Sec. Reiferus in Roma Non-Gloriosa, Heideggerus in Hist. Pap. pag. 106. & alii.

h) Vid. Matth. Th. Hist. pag. 926. & Funcii Tr. de Potest. Rom. Pont. Sec. pag. 44.

i) Vid. Bulla Innocentii X, quam Conring. & Hoornbeckius refutarunt.

k) Conf. B. Hutterus contr. Gretser. de Munific. Princ. in S. R. pag. 54. 55. Barclajus de Pot. Pontif. c. X.

l) Quas rationes vide ap. Voetium Disp. II. pag. 795. conf. & B. Dannhaner. Dram. S. pag. 728. seq. II. Casaubn. ad Annal. Baron. an. 31. n. 63. p. 214. 257. & Aut. supr. cit. de sub-ruina Pontif. Potestate.

m) Vid. Conringius l. c. Bœclerus l. c. Schurzleisch l. c. Disp. II. de Jure Augusti in Italiam Disp. III. 85. 92. X. 5. Schard. Syllog. pag. 248. seq. Goldast. Const. Imp. Tom. I. ad ann. 774. collat. 964.



est, quam quod certissimum, per Electionem Principum Imperatori id omne conferri, quicquid Imperii ac potestatis habet: id quod non Aurea Bolla duntaxat ita disposuit: n) Regem scilicet Romanum, peracta statim Electione, tum alia Imperii negotia administrare, tum privilegia quoque concedere posse; Sed & Fridericus olim Primus a Augusto suo Exemplo comprobavit, dum ad Imperii Principes rescriptit: Sibi imperium esse a solo Deo per Electionem Principum, illosque adeo mendacii reos, imo divinæ & Petri doctrinæ contrarios, quicumque Imperialem Coronam pro Beneficio a Papa accepisse ipsum dixerint, o) Cui Augustum calculum adjicit Lud. Bavarus, σημειον vere αντιλεγόμενον Paparum. Non enim semel excommunicatus, quod absque confirmatione Papali Imperatoris sibi partes sumsisset, generosissime contra disputavit, decrevit, constituit, idque suffragante totius Imperii Senatu. p) Quamvis itaque ex Coronatione Pontifices summi summam sui Juris vim evinci posse, nomenque Imperatoris & Augusti per hanc solum conferri existiment, q) nihil tamen ex supra dictis amplius apparet. Electio enim, non Coronatio Cæsarem facit quippe quæ ritus tantum extrinsecus est, qui majoris splendoris causa, & in signum acquisitæ potestatis superadditur: quo sublato, veritas Regis ac Imperatoris constitui non tollitur. r) Hinc factum, ut multi Cæsarem, ab Electoribus solenni ritu constitutorum, ne petita quidem Coronatione Romana, Dominium se Imperiale obtinere recte crediderint, & plenissimo Jure exercuerint. s) ceu Maximil. II. Rudolphi II, Matthiæ, Ferdin. II. & III, Leopoldi ac Josephi Exempla in illustri posita satis superque testantur. t) Quid? quod plerisque Pontificiis Romana hæc Consecratio pro Cerimonia tantum, sine qua electus Imperator talis & esse & dici possit, ulro agnoscat, u) Sola igitur Electio sacrosanctum

n) Art. 2. de Elect. §. pen.

o) Radevic. l. c. Lib. 1. cap. 10. ap. Hoepfnerum in Saxon. Evång. pag. 311. quod Scriptum Michaelius in Hist. Eccles. Lib. 3. Sect. 2. §. 32. æternitate dignum jure censet.

p) Constitutio ejus Francofurtana refertur ab Aventino Lib. VII. Annal. Bojor. pag. 622. Goldast. T. 1. Const. Imp. pag. 336. Wolff. c. l. f. c. 05. Hæpf. l. c. pag. 311. Verba ex ea sequentia adduxisse sufficiat: In perpetuum valitura lege sancimus, ut Electus in Imperatorem concorditer, vel a majori parte Electorum, ex sola Electione censeatur, & habeatur ab omnibus pro vera & legitimo Imperatore & c. Conf. & Lupold de Babenberg Liber, quem hoc ipse Imperatore imperante pro Jure Imperii admirando candore conscripsit, qui & continetur in Syntagmate Tractatum de Imperiali Jurisdictione & c. Argentorat. 1609. fol. edito.

q) Conf. omnino Jo. Henr. Bæclerum de Sacr. Rom. Imp. pag. 294. sq. Cotring. in Literat. Diss. de Jure Coron. & alios.

r) Ita jure censent Perillus. Coccejus in Coll. Jur. Publ. c. 1. th. 1. & Illustr. Dn. de Rhetz in Inst. Jur. P. lib. 1. th. 4. §. 3. Reinking de R. S. & Eccles. Lib. 1. c. 7. §. 8. cit. a Coccejo in Disp. de his, quæ præpostere sunt, pag. 26. seq.

s) Vid. Hoepfn. c. l. pag. 317. Paurmeister de Jurisd. Imp. Rom. L. 2. cap. IV. p. 555. quamvis non dissimulandum, quod licet hic olim magni habitus sit, cum multa ex Archivis proponat, variis tamen errores committit, annotante Cl. Siruvio in Bibl. Jur. Select. cap. XIV. §. 42. p. 482. Linnæus l. c. pag. 75. Carpzov. l. c. pag. 35.


t) Vid. Capitul. Ferdinandi IV. & Leopoldi, art. 37. Josephi art. 36. Imperatores alias R. Vert. consuetudine ter coronari solent. 1) Aquis grani corona Caroli M. ferrea, ab Anstite Colonienfi, qua fortitudo & robur significatur: 2) Argentea ab Episcopo Mediolanensi in Villa Modiciensi, qua claritas & splendor, & tandem 3. Aurea in Ecclesia D. Petri ad aram S. Mauricii, qua Principatus & Justitiæ dignitas designatur. Ferrea autem dicitur corona Langobardica a circulo ferreo interiore, quo fuit inextra, ceterum aurea, quod probat Schurzschütz. l. c. Disp. 3. pag. 83. ex Sigonio de Regn. Ital. l. 1. an. 591. & Kwichenio in Notis ad Puteanum Lib. II. c. 17. Buchneri autem sententiam in Ep. CXI. P. I. veterem & diversam dicit.

u) Apud Goldastum in Replic. p. Imp. contra Grefserum c. XXXVI, n. 396. Conf. & Carpzov. c. l. c. ll. pag. 227. seqq. & c.



FK Tr 4298

x 339 9801



sanctum Imperii nostri Mysterium ac veluti Palladium quoddam est, cui ma-  
 jore longe Jure applicari poterit, quod ambitiose satis Jesuita Colonienfis, Jaco-  
 bus Malenius, A lexandri septimi com moda, quæ cum adhuc Fabius Chifius &  
 Apostolicus ad Rhenum Legatus esset, Italiae & Germaniæ attulisse crede-  
 batur, prædicaturus posuit Emblema, pingi curans Navem inter fluctus pro-  
 cellasque media & tenebrosâ nocte versantem; supra vero stellam Castoris &  
 Pollucis, addita inscriptione: *Dirigit illa Ratem.* x) Præpositus autem  
 cæli Numen, quod nuda suo omnia regit, ac res humanas moderatur, Augustis-  
 simi hujus ac Gloriosissimi Collegii sancta Consilia in tuendis Patriæ Officiis,  
 clementer prosperet atque secundet, ut juxta communem Votorum Summam,  
 in Solennibus Pacis Rysvicensis decantatam, paucis licet mutata,

Sic coeant animis Fortes, & ad Ostia Mœni

Cæsarem & Imperium Pax & Concordia jungant,

quo majora indies & augustiora incomparabilis *Philomargias* edant Moni-  
 menta. Quibus autem medius ad regiæ & egregiæ hujus Virtutis fastigium,  
 eniti liceat, juvenis eximius ac præstantissimus, **GEORGIUS Gottlob  
 Stengel/ Budissin**, in Oratione satis eleganti ac erudita ostendet, quam Va-  
 ledictioni suæ publicæ præmittere animus est. Singulari sane Dei Beneficio,  
 orbatu utroque Parente, in familiam *Viri Magnifici atque Excellentissimi, DN.  
 CASPARIS CHRISTIANI HÜEBSCHII, J. U. L. hæreditarii in Nieder-Rey-  
 na; & Consulis de incluta hac Republ. insigniter meriti, Patroni atque Evergetæ  
 nostri sanctiori mentis observantia et aatem colendi*, adoptatus est, a quo non aliter  
 ac filius habitus atque amatus, in omnibus, ingenuo adolecente maxime dignis,  
 Virtutibus crescere feliciter & adulescere potuit. Mature igitur nostro Magi-  
 sterio traditus, fideique ac dexteritati imprimis Venerandi Senis, M. Johannis  
 Rotenbergii, cui in honestissimo otio Senectutem indies tolerabiliorem animi-  
 vovemus commendatus per omne literarum erudiarum, Attitumque hu-  
 maniorum decus ad recti honestique cultum perductus est. Ingenii præstanti-  
 am ac promptitudinem aliquoties Doctorum censura subiecturus, sub Claris-  
 simi Dn. M. Joh. Rosenbergi regimine *de Memoria Stoyana 1706. & de Regiæ  
 Christi Genealogia 1708.* sub B. Schulzio *de Annis Secularibus in Festo Natalitio,  
 1709* ac sub nostro moderamine *de Egressibus Messæ 1707. ac de inolenscendi  
 Medis 1708.* non sine omnium Bonorum applausu discevit. Quocirca op-  
 tima cum venia, nec sine fausto omine ex umbra Scholastica ad Academicam  
 lucem illum emittimus. Tu autem enitere modo, enitere, mi Stengeli, porro ad  
 quasvis Virtutes magnas, quas in splendidissima Domo Hübichiana cotidie  
 intuitus & maximopere admiratus es, quarum præstantissimum exemplum ad  
 omnem Eruditionis & Elegantiæ morum gloriam incitamento sit, nec dubites,  
 quin Deo benigne annuente laudabilis successus profectusque omen ac pignus  
 constituatur, quo insigniores olim *Philomargias* laudes jure sis adepturus. Hæc &  
 una omnium, quos hæctenus habuisti, Commilitonum, in primis Nobilissimi atq;  
 Generosi Juvenis *Wolf Rudolph de Ziegler, & Klipphausen/ Equ. Lui.* Sententia  
 Votique ratio est, qui Tibi abeuntis faustos precabitur Viales. Quod restat,  
**AMPLISSIMOS VRBIS HUIUS PROCERES**, una cum singulis elegantiorum  
 Literarum Existimatoribus, quanta possumus animi demissione atq; observantia  
 rogatamus, ut Panegyri isti cras instituendæ suæ præsentia majorem concilia-  
 re dignitatem ne dedignentur. P. P. Ipso Michaelis Festo A. R. G.

MDCXXI.

x) N. 49. al. 47. Ceterum Not. quod Malenius in Inscriptione, quam B. Luthero dicavit, per  
 Anagrammatismum Nomen *amentis* sibi fecit: dum scribit P. 2. Artis Nov. Argut. cap. 1.  
 pag. 215. Hæc neque ridens, neque flens scripsi, nisi ad alterius amentiam NB. *amentis* ipse  
 sed Nominis verso Anagrammatismo &c.

MO



PK  
4298

FK. 127  
4

DISSERTATIONCULA  
DE  
JVRE PONTIFICIS  
IN  
AVGVSTOS

NVLLO,  
QVA  
AD ORATIONEM  
VALEDICTORIAM  
TANTISSIMI JUVENIS

ORGII  
TTLOB

ENGELII,

VDISSINI,  
RRIMAM ACADEMIAM  
EBERGENSEM

PETITVRI,  
DE *Φιλοπατρία*

NA BONITATE ANNVENTE,

VDITORIO SVPREMO  
IORAM NONAM MATVTINAM  
RATIOSE AC BENEVOLE

AVDIENDAM,  
SIMOS ET AMPLISSIMOS DO-  
RONOS AC INSPECTORES,

ALIS ELEGANTIORVM MVSARVM  
VTORIBVS CLARISSIMIS,  
ANTA FAS EST AC DE CET,  
ANIMI OBSERVANTIA

ACHVMANITATE  
INVITAT  
CHAEL THYM,

CYGNEVS CON RECTOR.  
LITERIS RICHTERIANIS. M.DCCXI.

